



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

Caput Quartum. Quomodo sub initium Saeculi XVI. Religiones fuerint mutatae, & Sectariorum qui ante Lutherum in arenam prodierunt, imago sive descriptio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

*Ad tenebras. Mæsti ergo meis discedite ab aris.*

Et hoc quidem modo tam boni quam mali Angeli, astra, Planetæ, vox communis tam Christianorum quam idololatrarum varias rerum mutationes, & nouarum sectarum ac religionum introductiones præuidere ac prædicere vix sunt. Et hæc sanè prædictiones nequaquã vanæ fuerunt; utpote quas ipsæ calamitates, per totum terrarum orbem, ipso effectu consequutæ sunt, dum apud omnes vbiq; gentes (ô rem prodigiosam & admiratione dignissimam!) sub prætextu religionis arina arripiuntur, & tumultibus ac turbis omnia miscentur. Sic est momento mala exsurgunt & sese expandunt. Neque in Religionis negotio res sterit; sed varias etiam imperiorum ac Rerum publicarum mutationes vidimus, dum ad vicinæ quæque sese statum accommodare cogitur, & altera alterius fortunam secum veluti trahit.

Audite famosi illius & nostra græte celeberrimi Necromantæ dæmonem, de ortu, progressu & decremento eius factæ quæ è Geneuensi lacu religionis suæ flumina derivat (de qua suo loco) ita vaticinaatem:

*Quæ tanto studio expetit modo grata Lemani  
Vnda lacus pariet iam mox fastidia summa.  
Quiq; sonant iam cottidie plaudente popello  
Sermones, primum hebdomadis, tum mensibus, inde  
Vix etiam totis semel annis, accipientur  
Auribus: ac tandem obmutescet dira cathedra,  
Doctrinam & mores prauos damnante senatu.*

Et quid mirum de isto, cum Calvinus ipse, vel ingenij sagacitate, vel spiritus sui reuelatione regni sui ruinam & dissolutionem, post paucilli temporis defluxum futuram præuiderit & prædixerit. De posteritate, ait, ego sic sum anxius, ut tamen vix cogitare audeam; nisi enim mirabiliter Deus è celo succurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi, atque utinam non paulo post sentiant filij nostri fuisse hoc verum potius vaticinium, quam coniecturam. Vide Petri Cursæi Desp. Cal. causa. n. Calvin. præfat. Catech. Geneu. ad Mnistr. Frisæ orientalis.

## CAPIT. IV.

## ARGUMENTVM.

1. Religionis in Perside commutatio, sub initium sæculi XVI.
- II. Sectariorum qui ante Lutherum in arenam prodierunt, imago siue descriptio.

III. In Africa eodem tempore Religio mutatur.

IV. Itemque in Indis.

V. Ac tandem etiam in orbe Christiano.

VI. Pauli Iouis de turbis non minus miserabilibus quam mirabilibus, ob Religionem passim excitatis, dictum sine iudicium.

**Q**UAMADMODVM, versutissimus ille Arabs, gentisque suæ seductor, filius Sarhanæ primogenitus, qui occidendo Adcoranum suum plantauit, vt filius Dei in oriendo Euangelium suum stabiliret, omnia quæ acquirerat quamdiu vixit pacifice possedit: ita eiusdem successores, sine vllis turbis aut dissidijs altissima pace diu vsi sūt, hominibus illis vanissima pessimi pseudo propheta superstitione misere deceptis & inlaqueatis. Et quãuis nec ullum ille antiquæ vocis testimonium profese haberet, nec missionem suam vllò vero miraculo confirmasset; ab ingenti tamen hominum multitudine, Mecham ad ipsius reliquias properantium adorabatur, lege ipsius detestabili tamquam diuina passim recepta; donec tandem Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo, (a) non gentis circiter post impij Mahumetis ad inferos descensum annis, magnum vulnus secta hæc accepit, noua hæresi exorta, quæ innumeris turbis, seditionibus & conspirationibus ansam dedit, dum nouum Persarum imperiũ ex ipso & in ipso Othomanico imperio efflorescit. Hoc est illud Eridis pomum, quod Turcæ religionem, animis & viribus hæcenus coniunctissimos, inter se commisit. Etsi enim magna Asiæ pars sub Arabum, Tattarorum, ac præcipue formidabilis illius Tamberlanis, quæ Orientis fulmen merito quis appellare possit, imperijs dominum mutarat; Mahumetana tamen secta integra adhuc persistabat, nec vllã senserat mutationem. Idem cultus Taurisij qui Mechæ, eadem religio Trapezûte quæ Persæ poli yigebat. Exstitit tandem Ismael quidam ex Vsum Cassanis prognatus sanguine, (b) qui circa Annum M. D. imperium inuasit, & mutato dominio, religionem quoque mutauit, nouam superstitionem inuehens, quæ à monacho quodam Mahumetano, Techelli dicto, imbutus fuerat; tanta sectæ confidentia, vt Sophi quoque nomen usurpare non dubitaret, quæ vox Dei interpretè significat idque etiam ad posteritas tamquam hereditarium transmisit. Postquam igitur hic Persidem ingressus, plerisque persuasit, se veram asserre Mahumetis religionem, quam ha-

a. Vid. Bisar. lib. 10. & Ion. lib. 13. b. Laur. Sur. Commentar. rerum gestarum fol. 10. 11. 12. & seqq.

hactenus aiebat male fuisse intellectam; maiora animo voluens, auctis mirum in modum viribus, multas provincias occupavit, sibi que subiectis imperavit, ut relicta Turcarum religione, Halis, que verum Mahumetis discipulum dicebat, doctrinam & dogmata, ita ut etiam Techelliteradita erant, sequerentur; atque intra triginta dies quinque animam suam aperirent: qui vero secta huic nomen dare recusarent, gladio ferirentur: ex quo severo & sanguinario Edicto mirum est quanta brevi rerum mutatio consequuta sit. Idem ut secta sua addictos a Turcis discerneret, voluit ut Persa rubripilis vterentur, quum Turca albos, Tartari virides gestent: hoc tamen in uniuerso Turcarum imperio nemini nisi e Mahumetis prosapia ortis, ut licet. Hac vero religionis mutatio nihil aliud fuit quam pretextus quidam quo nouus hic deorum Interpretis ad inuadendum imperium vsus fuit. Quin etiam ferunt eundem de Mahumetana prosliganda ac Christiana amplissima religione consilia agitate, (ut qui nihil aliud spectaret quam quomodo imperio potiri posset) & fortasse perfecisset, si Christiani Principes naturae auxiliares ei manus praebuissent. Christianis certe amicum se semper Turcis vero & Iudeis hostem acerrimum ostendit; ac saepenumero Maximiliano Imperatori, Regi Ludouico XII & Venetis foederis ad extirpandum funditus Ottomanicum imperium ferendi auctor fuit. Eiusdem vestigijs insistens Mahometus Persarum Imperator, Anno M. D. C. Clemente VIII. Pontificiam sedem obtinente, legatos suos Romam misit, ut cum Christianis foedus contra Turcas tractarent, ut suo loco latius explicabitur.

II. Porro Techellis postquam e latebris suis & speluncis, ubi solitariam vitam in summa austeritate egerat, prorupisset, ad Ismaelem Sophi sese applicuit, ac breui ex inuicem strentus Imperator euasit, ferro & igne Halli vetusti prophetae, quem solum aiebat verum Mahumetanae legis intellectum tradidisse, dogmata propugnans & propagans; adeoque Armeniam & Asiam Maiorem breui tempore in partes suas pertraxit, Turcas qui Omaris interpretationem amplectuntur, infestissime ubique persequens. Baiazethes etenim tot suorum cladibus, e contra vero prosperissimis hostium successibus in arripere contristatus apertò Marte Techello tanta aestimationis Propheta, ut supra centum quinquaginta hominum millia eius & sectam & castra sequerentur, congregari non ausus, summa velut desperatione adductus, arma

contra Techellum sumpta in subditos conuertit. (a) Quippe Constantinopolim profectus diuersis incedat ille cis exortam, ac supra ducentas domos una cum habitatoribus flammis absumi iussit. Unde graui inter ipsum & subditos orta diffidentia, post breue tempus iusto Dei iudicio ab omnibus desertus, qui nec suis nec Metoensium Episcopo in ipsis sacris constituto, pepererat; a proprio filio Iudaei cuiusdam opera ad id vrentis veneno sublatus fuit. Ismael interim tantum sibi nomen & dignitatem comparauit, ut velut Deus aliquis nuper coelo delapsus a suis adoraretur; ipseque Saich Ismael (ea vox Persarum lingua deum significat) appellari se pateretur. Supernouae huius religionis fundamentis magnum illud Persarum imperium tum extructum fuit; quo Babylonij, Medij, Assyrij, alijque populi ad extremos vsque Indiae fines comprehenduntur. Hoc illud est imperium quod Ottomanis multum hactenus negocij facessuit, ac quomous hies laeius profertent obstruit. (b) Eodem tempore quo Ismael Sophus armorum metu & vi uniuersum Orientem conculsit, ingens terrae motus Constantinopolitanam urbem afflixit; adeo, ut Baiazethes ipse ruitis pane fuerit oppressus. Sinus maris inter Constantinopolim & Peram tanta vi concitatus fuit, ut spumantes fluctus ipsam omnia fere supergredierentur. Non multo post, anno scilicet M. D. X. alius quidam Mahumetanus Cadi nomine (ut ad perfectam nostrorum temporum tot sectis distractorum similitudinem nihil deesse) Ismaelis exemplo non minus propitiam sibi sperans fortunam, nouam & ipse sectam commentus est, dicens, nec Halim, nec Omiarem, Oelam, Culbā, Abocherim, Azcharom, Zeibem, Ierribem, aut quemquam alium veram Mahumetanae legis intelligentiam habuisse, sed a se solo eam modo productam. Et quemadmodum in religionis schismatibus & turbis nullum dogma unquam tam absurdum fuit, est, aut erit, quod ubi stipulatores inueniatur, & varios pretextus & modos sese diffundendi apporet: ita huic quoque nouo doctore fautores ac sequaces non defuerunt, quorum ille viribus adiutus, oppidum quaedam adeoque integras provincias occupauit, & variis fortuna, modo victor, modo victus, aliquot praelia commisit. Tandem vero, una cum viginti quatuor mille hominibus in praelio interfectus; & una cum ipso secta eius extincta ac sepulta fuit.

a. Georg. Fabric. in Chron. Turcico VVolsngang Drecksler's sol. 12. Cap. 13. de Bisan. lib. 4. Pers.

tur Turbæ hæc Balazethis Turcarum Imperatoris  
 rebus per commodæ fuerunt, quæ tot cladibus fra-  
 ctæ ac prostratæ, pessimo loco sitæ fuerant, adeo  
 ut Trapezuntino imperio Persis cedere, & vicies-  
 centenis scutatorum millibus pacem ab Ismaele re-  
 dimeret constitutum habuerit. Sed Ismael è medio  
 victoriarum cursu domum reuocatus & retra-  
 ctus, turbis à nouo hoc propheta excitatis occur-  
 rere fuit coactus. (a) Ex quibus omnibus temporum  
 illorum facies apparet, quando scilicet totus Oriens,  
 ac præcipuè duo maximi & potētissimi Turcarum  
 & Persarum populi ob diuersas Mahumetanæ legis  
 interpretationes infestissimis animis atque armis  
 concurrerunt ac digladiati sunt, tanta odium  
 pertinacia ut non nisi murua pernicie elui aut ex-  
 piari possint. Hanc enim sententiam decretoriam  
 Turcarum Muphti id est summus Pontifex pro-  
 nunciavit: Eum qui Persam hæreticum, licet Ma-  
 humetanum, occiderit, multo gratiorem rem Deo  
 facere quam si septuaginta Christianos interficiat.  
 (b) Nunc rerum in Australi plaga statum itidem  
 perspicimus.

III. Africâ vetusta Mahumetis dogmata, & anti-  
 quam Alcorani interpretationem hæcenus am-  
 plexa fuit, donec Anno M. D. XLV. Monachus qui-  
 dam Amether nomine, nescio quo æstro percitus,  
 è cellula sua per volavit, & oppidatum circumiens,  
 populumque ad pœnitentiam cohortans, novam  
 Elfurcani expositionem, è sola, ut agebat, S. Scrip-  
 tura hausit, novarum rerum cupidus obrutit. In-  
 ter alia hic docuit, Halis, Omatis & aliorum inter-  
 pretationes humani ingenii esse commenta, ad re-  
 ctè vero interpretandum Elfurcanum, nudam &  
 puram ipsius scripturam sufficere, ut qui optimus  
 ipse sui ipsius sit interpres. Novus hic Monacho-  
 minister & Ministro monachus non miror tantum  
 verborum artificio, sed vitæ etiam exteriori quadam  
 simplicitate & innocentia incredibilem hominum  
 multitudinem, ac præcipuè in Bessano ac Maroca-  
 no regno, ad suas partes perduxit, & novæ religio-  
 nis prætextu subditos passim contra Principes ar-  
 mavit. Inde ad vicina regna progressus, usque ad  
 intimam Libyam penetrauit, ac plus quam centum  
 discipulos tamquam religionis suæ Episcopos &  
 Mahumetanæ legis præcoes, constituit ipse vero  
 sexaginta hominum millia, ferè semper circase ha-  
 bebant. (c) Taflet rex, inter Africæ Principes non  
 postremus, hominis fama motus, eum ad se accer-  
 sivit, eo sine ut novo huic Prophætæ, de quo tam  
 mira ubique jactabantur, conscientiam suam de-

nudaret, magno errore, ut postea patuit: ut qui hac  
 ratione ambicioso homini fenestram ad imperium  
 in vadendum aperuerit, ac suam etiam vitam præ-  
 sentissimo periculo exposuerit. Statim enim ubi il-  
 le pedem in regno posuerat, subditos ad rebelli-  
 onem excitavit, & cœlestium revelationum prætex-  
 tu, Regem ipsum vita privavit, assumtoque Serip-  
 thii, id est, supremi Pontificis nomine, re ipsa re-  
 giam potestatem usurpavit, Prioris deinde simplici-  
 tatis quasi oblitus, nusquam nisi magna armato-  
 rum manu & pompa regia stipatus conspiciebatur,  
 conciones interim nihilominus, non tamen in Ma-  
 humetanorum Mosqueis, ne cœ Christianorum, à  
 quibus non alieno planè erat animo, templis, sed  
 patenti in campo subidio habebat. Idque unum a-  
 gere videri volebat ut Mahumetana religio refor-  
 maretur. Quia vero Christianis Turcarum Mos-  
 queas ingredi capitale est, nisi ejurata religione  
 sua Mahumetanas superstitiones amplecti velint,  
 Regius hic Pontifex ex quo omnes, tam Chri-  
 stianos & Judæos quam Mahumetitas ad concio-  
 nes, facta & ceremonias suæ religionis admisit: &  
 feliciter omnium successu clarus, magnum ac  
 prævalidum confecit exercitum, atque eo quinque  
 reges subegit. Longum esset omnia ab ipso com-  
 missa proliare recensere, è quibus unum maximè est  
 memorabile, in quo supra centum hominum mil-  
 lia perisse dicuntur. Quid multis? ipsum etiam  
 Mahumetæ bellicæ gloriæ Seriphii hic superavit,  
 ac totius ferè Africæ imperium, quadraginta  
 annis tenuit, Turcis tam formidabilis ut aperire la-  
 cessere eum non auderent, sed occulto tantum ma-  
 gnitudini ejus obstruere, atque obicem ponere sa-  
 tis haberent. Unum restabat iis in locis Algeriæ  
 regnum, reliquis Fessæ scilicet, Maroci, Tremissæ,  
 Taflet, Arcæ & Susæ regnis ad iungendum: cujus  
 rex viribus suis diffusus, corrupto satellite, homi-  
 nem insidiis circumventum una cum præcipuis  
 duobus & Consiliariis interfici curavit. Successit  
 ei nihilominus Abdalæ filius, cujus progenies etiã  
 num exstat. Sed hæc micro, breviter turbas illis in  
 partibus eodem tempore, quo apud nos veterum  
 sacrorum fundamenta fere subruta, ob religio-  
 nem exortas indicasse contentus. Eodem tempore in-  
 quit Thevetus in Cosmographia sua, (d) quo Luth-  
 erus Christianam religionem in Europa turbat & exagi-

a Surius histor. fol. 16. & 17. b. Leuclæ, in Supplem. Ann.  
 Turca pag. 138. c. lov. de. ur. illust. lib. 3. & 7. Genebr. in  
 Chron. d. lib. 1. cap. 5.

ta. & Reges ac Principes facem hanc funestam exstinguere vel conantur vel dissimulant Seraphius nouis pariter in Africa rebus studet, eiusdem fere cum Luthero farina homo, ut qui non minus quam hic pauper & vilis fuerit monachus, qui tamē seditiosis suis concionibus complures Reges ac Principes sede & dignitate deiecit. (a) Hæ scilicet diaboli sunt artes, omnia versantis, & subiectos sibi ad mutuas cædes notis sectarum & opinionum facibus accidentis.

IV. Dum ita Mahumetista & Halista de stultis & vanis suis superstitionibus inter se digladiantur, & Seraphius sectam suam stabilire allaborat, à Christianis ex alia parte in propagando Iesu Christi Evangelio, eiusque cognitione remotissimis à nostro orbe & incognitis antea populis illustrandis, vehementer fuit desudatum, Deo tam pios conatus mirum in modum fortunaante, ut Mundi huius princeps magna, possessionis tot sæculis iam usurpatæ, parte intra breue tempus fuerit exturbatus. Idem Deus Christianorum ad ea loca aduentum diuersis prodigijs iam ante præsignificauerat, (b) ut ignea illa pyramide, quæ toto anno supra Mexicanam urbem conspecta fuit: ut igne illo cælitus super primarium eorum locorum templum delapso: ut Cometa illo tricipiti, in medio die apparente, & ab Ortù ad Occasum tendente: & alijs stupendis prodigijs, in India passim, ac præsertim in magni illius Principis Morezumæ regno circa Annum M. D. XVI. conspectis, quo tempore Christiani primum ibi locorum innotescere cœperunt, sic ut illo ipso tempore quo Lutherus Christianam Ecclesiam inter Christianos conuellere ac demoliri aggressus est, Christiani inter idololatrias prima Christianæ fidei fundamenta iecerint, longe lateque postea per ingentia illa terrarum spatia expansæ: sic ut pro exigua terræ particula, eaque niuibis & frigoribus infami, integri velut Mundi ad Christianam republicam sint adiuncti. Ut enim torrens obstructo alueo, limites suos egressus alio erumpit, multoque latiore viam & canalem sibi facit: sic Ecclesia apud nos oppressa ac quasi deiecta, alibi pulchrior ac validior surrexit: sic ut fidem è nostro orbe profugientem alter ille obuijs vniis excepsisse videatur. Confluebant vndique ad Christiani, apertoque Christophori Columbi primum, deinde Americi Vesputij, immortalis memoria dignissimum opera & industria ad ignotos populos aditu, tam Hispaniæ quam Lusitaniæ reges cœptum opus summa contentione, ac magnis sumptibus vigeabant, eodemque eo ipso tempore infideli Mauro-

rum gente è Granatensi regno, quod illi ultra octingentos annos infederant, profligata. Horum iussu & sumptibus instructa & commissa fuerunt aliquot classès, tanta nauium agilitate, ut cum ventis ipsis de leuitate certare viderentur. Hæ tam ad Orientalem quam Occidentalem Indiam plenis velis conuolabant, & in medio tot periculorum & difficultatum mare tranquillari, breuia aperiri, voragines impleri videbantur, cælo ipso per alteram quandam viam lacteam nouos populos monstrante, ut ad eos qui Sathanae hætenus mancipia fuerant, salutare Iesu Christi Evangelium deferretur. Mox videre ibi fuit Crucis tropæa in celsissimis montium iugis passim erecta: perpetuum illud & solenne Christianorum sacrificium sub arborum umbris passim celebrabatur, dum noua quotidie sacrarum ædium fundamenta iaciuntur. Et quomuis barbari reges quibus poterant viribus nostrorum conatibus resisterent, Deus tamen ipsorum animis incredibile atque inuictum robur inspirauit, ac multis etiam miraculis editis auxilio suo vbiq; præsto fuit. (c) Tales fuerunt fortissimi illi Christiani Equites, Alphonsus & Franciscus Alboquerquei, Eduardus Pachecus, Ferdinandus Cortesius, Franciscus Pizarrus, & alij, qui frustra frendentibus ac frementibus Sathana eiusque ministris, salutare Redemptoris signum in terris illis erexerunt, dum idem interea apud Christianos passim deiectum fuit & sublatum: dumq; alij summi Pontificis auctoritati & obedientiæ subducere se conantur, ecce tibi ex vltima vsque India Principes, qui Dei in Terris Vicario eandem promittunt ac præstant. Visi sunt sæpenumero plusquam mille idololatræ à paucis Christianis in fugam acti aut concisi, non aliter ac si ardente illo gladio, quo ingens quondam Sennacherib regis exercitus fugatus fuit ac deletus, ipsorum humeri fuissent percussi. Hoc modo Christiani tam armorum quam solius etiam nominis terrore non vrbes modo, sed integra etiam regna occuparunt, construxerunt templa, erexerunt altaria, & paganorum Pagodas, Guacas, & Pachicamas, Sathanae antea deuotas ædes & idola, veri Dei Opera Max cultui consecrarunt Regibus Cananoris, Cochini, Calecuti, Mexici, Cusci & alijs quidem contrariantibus, & arma etiam opponentibus, sed Dei gratia & nostrorum virtute semper victis. Quamuis autem Sophus Persarum rex, prophetæ sui no-

C

men  
a. Vide Prætolium fol. 701. b. Acosta lib. 7. Hist. Ind. cap. 23. c. V. Maffei in Histor. Indica.

men & doctrinam propagare cupiens, ad Cambaiz regem legatos miserit, qui vt Persicam legem susciperet, ei persuaderent: omnes tamen ipsius conatus Christianorum industria disturbati sunt, ac populis illis verus Mundi Saluator D. N. Iesus Christus fuit annunciat, & Mahumetis atque Halis impostura & impietas detecta (a) Sicut vero Christianorum Principum dissidia hæresibus sepe tam aditum, quam crescendi copiam præbuerunt; sic Indorum quoque intestina odia & dissidiones Christianæ religionis plantationem atque incrementa faciliora reddiderunt Quæ post Gnaæacæ patris mortem inter Attabalipam & Gascam exstitit contentio, Franciso Pizarro in Peruanum regnum aditum aperuit. Mutuis Tlascallensium & Mexicanorum odijs prudenter vsus Ferdinandus Cortesius, tam hos quam vicinos populos facilius subegit, ab Indis Solis filius appellatus. Hic scilicet rerum mundanarum cursus est: *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* ait sapiens (b) Miracula quæ in conuersione Indorum infidelium Deus operatus est, suo loco à nobis explicabuntur; quæ vero hoc loco breuiter attingimus, eo tantum pertinent vt intelligatur vniuersum Mundum sub initium decimi sexti sæculi religionum dissidijs agitarum fuisse, dum inter Christianos, paganos, idololatrias, Musulmanos, Halistas quidam noua dogmata comminiscantur; alij pro maiorum religione, & verè, quod dicitur, pro aris & focis depugnant. In quo diuinam admirari libet prouidentiam, hæc ipsa dissidia ad Christianorum salutem conuertentem. Sophi enim secta Orhomanici imperij incrementum valde remorata est, sic vt Mahumetanorum factionibus Christianorum concordia multum adiuta & salus conseruata fuerit. Sic sacerdotes nostri in nouum illum Mundum missi, Christianam religionem; longe lateque propagarunt: quæ quidem antequam suppremus illè iudicij dies veniat, ad extremos vsque terrarum fines percrebescere debet. Et hæc certissima sunt diuinæ Sapientiæ vestigia, quæ in omnibus eius operibus merito sunt obseruanda.

V. Dum omnes orbis partes varijs, vt diximus, iactantur tempestatibus, ecce decumanus quasi fluctus superueniens, Ecclesiæ apud nos nauiculam pene oppressit: ac plâne apparuit non vanas fuisse cœlestium influentiarum & constellationum aliorumque prodigiorum minas. Eo enim ipso tempore quo Dei Ecclesia in medio Sathanæ planta-

tur regno, dum Asia, Africa & Indiarum populi mutuis ob religionem cædibus in se grassantur, pestilens hæresis in Europa gliscere ac caput efferre cœpit: quam mox atrocias dissidia & turbæ consequutæ sunt, adeoque infortunato schismate omnia exarserunt, infelici Monacho primam faciem subijciente. Rem miram vide, quæso! Totum scilicet Mundum eodem tempore in diuersis terræ partibus à quinque Monachis varie commotum. Vnus Martinus Monachus furiosus tonat, fulgurat, ignem & flammam vomit, hoc denique omnibus modis agit vt Ecclesiam in Europa subuertat: alter Martinus Franciscani Ordinis Monachus, & primus Vniuersalis Vicarij apud Indos Vicarius, Evangelium in nouo orbe disseminat, & novam quasi maximo cum labore ædificat Ecclesiam. Vnus Monachus, Techellis nomine, in Asia noua sua superstitione cælum terræ miscet: alter Teccellius in Europa primus antiquæ religionis defensionem suscipit & contra Lutherum in arenam prodit. Seriphus denique vel fortunatior illis vel audentior, religionem mutando cucillum cum regio diademate, & librum cum sceptro mutat. Et nihilominus hæc omnia iusto & admirabili Dei iudicio euenerunt.

*Qui, quamuis sit simplex solus & vnus,  
Edis diuersos semper nihilominus actus,  
Et tamen ex vno manantes fonte & eodem*

*Iustitia, qua cuncta regit, dat, mutat & aufert.*

VI Sed Pauli Iouij illustris Historici de temporibus his & religionum sectis iudicium addamus. Non multo post, inquit (postquam Isinael Cesarum imperium inuasit, nouamque Mahumetanæ superstitionis opinionem promulgauit) exarsit in Germania auctore Luthero dira hæresis, quæ populis, vt in Perside acciderat, ad insaniam versis, Christiani dogmatis placita & veteres sacrorum ritus vehementissime conturbauit. Ita vt facile crediderim ab occulta cæli potestate malignoque siderum concursu prouenisse, vt religiones toto terrarum orbe enatis factionibus, vno tempore scinderentur, quando non Mahumetani modo Christianique, sed & remotissima gentes idololatra, aut sidera aut portenta pro dijs venerantes, quum in India quæ ad Orientem vergit tum in Nouo Orbe ad Occiduam plagam reperto, nouas sacrorum opiniones induerint. Hic facere non possum quin insignem eius fraudem & falsitatem qui eiusdem Iouij historiam Gallica lingua interpretatus est, ostendam, omnia illa

a Ofor. lib. 10. b Ecclesiastes cap. 1. 9.

illa quæ à Iouio de religionum mutationibus, & de dira Lutheranorum hæresi dicta sunt, alto silentio prætereuntis. Hoc scilicet illud fuit quod reformatam ipsius conscientiam vsse, quodque religiosus ipsius stomachus concoquere non potuit. Quod si tanta illi impudentia profanas mutilant historias, vt pauca verba ad Lutherum Hæresiarcham pertinentia premantur; qua fide sacros ab illis libros tractari existimabimus? Sed quoniam infelix illud schisma, cuius Lutherus primus auctor fuit, & natus inde cum summo Christianæ Reipublicæ periculo & damno Hæreses explicare constitutum habeo; tempus est, vt prima Lutheri incunabula & natiuitatem describam. Nec vero in hoc eius imitator exemplum, qui lunonis autem pingere iussus odio eiusdem nihil nisi pedes pinxit; sed potius, vt pictor fidelis, vultum & animum ira vti est, ac vitium representabo, & in præputulo spectandum omnibus proponam; nec committam vt vel odium vel adulatio vnius aut alterius partis à veritate, quam ex bonorum & fide dignorum Auctorum libris, & eorum qui tum vixerunt commentarijs & narrationibus magno labore collegi, abduxisse me & transuersum egisse videatur.

### LUTHERI HÆRESIARCHÆ

Natiuitas : Et quomodo is religiosam, seu Monasticam vitam ingressus & professus sit.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

- I. Martini Lutheri, qui primus tam perniciosi Schismatis auctor fuit, prima incunabula & natiuitas, cum demone familiaritas, nominis potestas.
- II. Themata eius genealogicum.
- III. Mars & Iupiter in Luthero insolentiam & contumaciam demonstrant.
- IV. Diuersa de hominum quorundam Natiuitatibus iudicia.
- V. Lutherus monasticam vitam amplectitur.
- VI. Dotes eius & vitia.

**M**ONACHVS hic qui Christianæ Reipublicæ non minus mali constituit, nec pauciora suspicia & lachrymas expressit, quam Turcis, Persis, Arabibus & Africanis duo illi alteri

præced. cap. nominati, Monachi, Islebij natus est (a) in Mansfeldensi Comitatu (quem locum discipuli ipsius idololatræ nouam Bethlehem appellarunt) Anno M. CCCC. LXXXIII. die XXII. Octobris, hora XI. & XXXVI. minutis O infelicem & infamem diem, dignum qui non tantum è Catholico Calendario, sed ex omni hominum memoria, si fieri possit, eradatur! Alij aiunt eum X. Nouembris, in D. Martini vigilia natum; eoque nomen hoc à parentibus ipsi fuisse inditum. Sed credibile est Cardanum & Iunstinum qui tam curiose genealogicum eius thema descriperunt, veram eiusdem Natiuitatem summo studio peruestigasse ac prodidisse Cardanus certe XXII. Octobris natum eum scribit (b) Hanc, inquit, veram esse Lutheri natiuitatem. Idem dicit Iunstinus. Et quamuis inter duos hos Astrologos, quod ad horoscopus Lutheri attinet, quædam sit diuersitas; illa tamen tanti non est quæ cuiusquam iudicium remoretur. Apud vtrumque enim Planetæ in eisdem constituti sunt domicilijs, Luna in duodecimo, Iupiter, Venus & Mars in tertio, Sol, Saturnus & Mercurius in quarto. Iudicium vero quod inde illi faciunt, postea videbis. Hoc vero loco digna consideratione mihi diuina videtur providentia. Vt enim olim eodem quo acerrimus Catholicæ Ecclesiæ hostis Pelagius, eiusdem acerrimus defensor S. Augustinus, hic quidem in Africa, ille in Europa, natus esse fertur; ita eodem anno, mense & die, quo in plaga Septentrionali infans in lucem prodijt, Ecclesiæ postea confirmata ætate bellum pilaturus, in plaga Australi alius in Mundum prognatus fuit, qui tamquam strenuus sub Iesu Christi signis dux, Ecclesiæ fines longe lateque ad populos incognitos prolaturus erat. Lutherus in mundum natus est, scribit Consaluis de Illecas, vt totum Mundum perturbaret & infinitos Christianos sub diaboli signa cogeret. Eodem tempore Ferdinandus Cortesius, Vallis Marchio, Medelini in Hispania natus fuit, vt infinitam barbararum nationum multitudinem tot saculis in miserima

C 2

Sath-

a Osiand. centur. 16. Magdeb. Histor. Ecclesiast. Cochla. in Act. Luth. fol. 1. Melanch. fol. 1. in vita Lutheri. aliae 10. Nouemb. Ministro-mach. fol. 15. Lutherus ipse in declar. sermonis de Eucharistia, qui addit locum esse in Episcopatu Halberstadiensis, & Principatu Saxonie, Mansfeldia vero sese esse educatum; Magdeburgi & Ienas studuisse &c. b Card. de cent. genit.